

perq; somnum palpebræ non committuntur: sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet: neq; id fluens alius expressit: eademq; palpebræ pallent: & idem pallor labra, et nares decolorat. eademq; labra, & nares, oculiq; et palpebræ, et supercilia, aliquaue ex his peruertuntur: usq; propter imbecillitatem iam non audit: aut non uidet eadem: mors denuntiatur. Vbi ægri supini cubant: hisq; genua contra cta sunt: ubi deorsum ad pedes subinde delabitur: ubi brachia, & crura nudat, & inæquabiliter dispergit: neq; his calor subest: ubi hiar: ubi assidue dormit: ubi his qui mentis suæ non est: neq; id facere sanus solet: dentibus stridet: ubi ulcus quod aut ante, aut in ipso morbo natum est: aridum, & aut pallidum, aut liuidum factum est. Illa quoq; mortis indicia sunt: ungues, digitiq; pallidi: frigidus spiritus: aut si manibus quis in febre, & acuto morbo uel insaniam, pulmonis uel dolore, uel capitis, in ueste floccos legit: fimbrias uel diducit: uel in adiuncto pariete si quæ minuta eminent: carpit. Dolores etiam circa coxas, et inferiores partes orti, si ad uiscera transierunt: subitoq; deserunt: mortem subesse testantur: magisq; si alia quoq; signa accesserunt. Neq; is seruari potest, qui sine ullo timore febricitans, subito stragulatur: aut deuorare saluam suam non potest. Cui uel in eodem febris, corporisq; habitu æruix conuertitur: sic ut deuorare æque nihil possit: aut cui simul & continua febris, & ultima corporis infirmitas est: aut cui febre non quiescente exterior pars frigit: interior sic calet: ut etiam sitim faciat: aut qui febre æquæ non quiescente: simul & delirio, & spirandi difficultate uexatur: aut qui epoto ueratro exceptus distentione neruorum est: aut qui ebrius obmutuit: is enim febre, adiecta neruorum distentione consumitur: nisi aut febris accessit, aut eo tempore, quo ebrietas solui debet, loqui cepit. Mulier quoq; grauida acuto morbo facile cõsumitur: & is, cui somnus dolorem auget: & cui protinus in recenti morbo bilis atra, uel infra, uel supra se ostendit: cui uel alterutrum modo se prompsit: cum iam longo morbo corpus eius esset extenuatum, et affectum. spiritum est bilisum, & purulentum, siue separatim ista, siue mixta proueniunt: interitus periculū ostendunt. Ac si circa septimum diē tale esse cepit: proximum est ut is circa quartumdecimum diem decadat: nisi alia signa meliora, peioraue accesserint. quæ quo leniora, grauioraue subsecuta sunt: eo uel seriore mortem, uel maturiorem denunciant. Sudor quoq; frigidus in acuta febre pestiferus est. atq; in omni morbo uomitus: qui uariis, & multorum colorum est: præcipueq; si malus in hoc odor est. Ac sanguine quoq; in febre uomuisse pestiferum est. Urina uero rubra, & tenuis in magna cruditate esse cõsuevit: & sæpe antequam spacio